

Biblioteca
ASTRA, Sibiu
P. 05
S. 12
2444

72

XXVI.
19

DE

M A R I A

HVNGARIAE REGINA

LVDOVICI PRIMI, PRINCIPE FILIA,

COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA

ELABORATA

A

CAROLO ANDREA BELIO

PISON. HVNG. PHILOS. ET ART. MAG.



5872

LIPSIAE MDCCXLII.

LITTERIS SCHNIEBESIANIS.

1377 365

1970

1969

1964

M A R I A

HUNGARIAN

BY DOROTHY PRINCE

COMMITTEE ON HISTORICAL CRITICISM

5244

OFFICE OF THE DIRECTOR



4043

ILLVSTRI VIRO,
**IOHANNI DANIELI
SCHOEPFLINO,**

CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIO
ET HISTORIOGRAPHO, HISTORICARVM ET
ELOQVENTIAE IN ACADEMIA ARGENTORA-
TENSIS PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO CE-
LEBERRIMO, CAPITVLI THOMANI CANONICO
DIGNISSIMO, RELIQVA.

P A T R O N O

MVLTI NOMINIBVS AD CINERES COLENDO,
TENEM HANC OPELLAM,
VT GRATVM TESTARETVR ANIMVM,

D. D. D.

A V C T O R.

MELSTRI VRO,

IOHANNI DANIELI
SCHOFFELINO.

CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIO
ET HISTORIOGRAPHO, HISTORIARUM ET
LICOVERIAE IN ACADEMIA ARGENTOR-
TENSIS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO CE-
LEBRISIMO CANTUUM THOMAS CANONICO
DIGNISSIMO, RELIGIO.

T A T O N O

MULTIS NOMINIBUS AD CIVILES COLENDO.

YETUS IMMO CIBIAM

VT GENTIAI TERRAE ETIE ANIMAM

d d d

A L C T O R



DE
M A R I A
HUNGARIAE REGINA
COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA.

§. I.



iduatā, Caroli Roberti (*a*) Regis morte, Hungaria, filius Ludouicus, Primus idem & Magnus, Neapolis & Poloniae Rex (*b*), Rex etiam Hungariae, A. 1342. declaratus fuit. Princeps, qui non patris modo in Hungariam meritis (*c*) regnum meruerat; sed sua ipsius virtute & gloria, qua nemini secundus fuit, Primus Ludouicus. Longum foret, & alienum ab instituti ratione, quae prudenter gessit, quae feliciter, enarrare (*d*); satis nunc, si commemorauero, huius fuisse filiam secundam (*e*), quae successit in Regno, Mariam Reginam,

(*a*) Carolus Martellus, Mariae, Stephani IV. Regis Hungariae filiae, adeoque Ladislai sororis, filius, Ladislao IV. Cumano mortuo, electoque in eius locum Andrea III. a Coelestino II. Papa, Rex Hungariae

DE MARIA

gariae coronatus, Hungariam intrauit cum filio Caroloberto (*Bonfin.*
p. 318. Rev. Hung. & 323, 7.) quem Carolum Robertum alii, alii Nor-
 bertum vocant. Sed, transmisisse etiam Martellum hunc, in suc-
 cessores suos Neapolis, in Regnum Hungariae jura, quae consum-
 matissima sibi, & matris, & Papalis euocationis causa, perperam
 crediderat, gallici quidam scriptores adserunt: ita *Fineus*, ita *atlas*
Blaeuianus; atque inde factum forte est, quod Renatus Andega-
 uensis, qui titulum Neapolitani Regis sibi vindicauerat, insig-
 nibus suis, Regni etiam Hungariae insignia, adiiceret. Carolo-
 bertus profecto, patre, anno 1295. fatis functo, a Bonifacio VIII,
 eidem Andreae oppositus iterum, atque A. 1301. a Strigoniensi Prae-
 fule, vnctus, non tamen sacra corona redimitus, fuerat. Sed oppo-
 situs tantum Carolus, Andreas enim, quod sola suorum bonitate,
 non vlllo suo studio, Regnum consecutus erat, obtinuit: Ita *Na-*
danyus, *Flor. Hung. L. II. c. 22. p. 121. seq. Bonfinius, Rev. Hung. Dec.*
II. l. 9. p. 306. &c. Sed neque Andrea, qui veneno periit, sub-
 lato, consecutus est Carolus, quod crediderat, Wenceslao Bohemiae
 Regi, regalis quoque Hungariae corona, delata fuit, quod *Timon*,
Epitome chronologica Rerum Hung. quae in fol. 1736. Cassouiae pro-
diiit, p. 42. loquitur. Nempe, indignum reputarunt Hungari, genti
 liberae, dari Regem, quem solita fuit eligere. Posteaquam autem,
 siue pertaesus turbulentae regionis; siue veritus machinationes
 Hungarorum, Wenceslaus, coronam Hungaris reddidisset, tradi-
 tam Ottoni, (*Timon Epitome p. 43.*) melius ire res Caroli coe-
 perunt, Zagrabiensi in primis Episcopo, Augustino Gazotti, oratio-
 nem ad Status Regni, de eligendo Carolo, pronunciante, quam to-
 tam *Iob. Tomcus in Augustini vita, p. 24. exhibet.* Nihil fecius,
 electus a quibusdam Otto Bauarus, qui, quam in Transilvano iti-
 nere, coronam fato perdiderat, successu temporis, reapse perdidit;
 a. 1308, abdicatione solenni regno cedere, & in suam se Bauariam
 recipere, adactus. Coronatus tandem Carolus Robertus, & Rex
 Hungariae, publicis auspiciis, proclamatus (*Thuroc. II. 89.*) Tem-
 perare mihi non possum, quin hic loci, licet extra oleas vagari,
dici

dici possim, triplicis coniugii Caroli mentionem iniiciam, cum dissideant scriptores. Prima fuerat A. 1313. vxor, *CATHARINA*, (*Timon. Epit.* p. 45.) Casimiri III. Poloniarum Regis, diuina Magni, iuxta Dlugoffum vero Casimiri II. Ducis Teschinenfis, filia; non Maria, vt Turocius nominat, atque cum eo *Bonfinius*, l. c. p. 317, 55. & recentissime cel. *Lenzius* in *Prüfender Gesellsch.* P. V. p. 375. Malo ego iudicium hic virum Timonem sequi, quam ad scriptores, quorum fides non ita est explorata, prouocare. Neque me mouet illustris *Sommersbergii* dissensus, *rer. Silesiacar. scriptor.* T. I. p. 685, n. 18. coll. p. 666, vbi stemma integrum exhibet. Mortua Catharina improlis Temesuarini; Albae, tumulo recondita. A. 1318. *BEATRIX* successit, Henrici VII. Imperatoris, filia natu junior, quam eodem anno obiisse, *Turoc.* II. 91. dicit; in partu, *Hagecius* (*Wencest.*) *Chron. Bohem.* p. 392. a. nos autem, quod *Dubrauius* & *chron. aulae Regiae* referunt, a. 1329. constituimus; licet a. 1320. mortuam, persuadere lectoribus suis *Madius* vult, c. 13. ap. *Lucium* p. 375. b. Tandem *ELISABETHAM* anno 1320. coniugem nactus Carolus, Vladislai Lothici, Poloniae Regis filiam, ex qua natus est Ludouicus, a. 1326. *Turoc.* II. 94. *Bonf.* p. 318. 32. & *Timon* p. 45. 46.

(b) Neapolis Regem dico, neque id perperam; auum habuerat Carolum Martellum, Claudi Caroli filium, nepotem Caroli Andegauenfis, S. Ludouici fratris, Comitum Prouinciae, qui Galliam, Pontificis Urbani IV. inuitatione, egressus, Neapolim & Siciliam inuaserat. A Graecis haec Imperatoribus, a. 1130. ad Normannos transferat, a quibus demum, per Constantiam Normannicam, desponsatam Henrico VI. Imperatori, ad gentem Hohenstauiam, a. 1194. deuoluta fuit; vsque dum, Pontificis nutu, Conradi filio, Conradino, sub Manfredi, qui iam Proregem agebat, tutela constituto, Carolus Andegauenfis, euocatus e Gallis, opponeretur. Hic tandem, Manfredi ad Beneuentum caeso, Conradino, capto ad Palenzam, securi percussio, regnum Siculum, destinatum sibi a Pontifice, genti suae adseruit, ipse a. 1282. vesperis siculis, Petro Arragonio, luiturus. Atque ita, ab Andegauenfi Carolo, ad Primum

Ludouicum, Neapolitani Regni iura fuerunt transmissa. Vide *Collenutium hist. Neap. & Giraffi rivoluzioni di Napoli*. Sed vero & Poloniae Rex fuit Ludouicus, quam tamen dignitatem, non eo quo priorem titulo tenebat; natus erat Elisabetha, Vladislai IV. Loethici filia, huic successorem filium Poloni Casimirum III. a. 1335. dederant, a. 1370. sine mascula prole decedentem. Cum ergo in hoc, Illustris Piaistorum progenies in Polonia, esset extincta, de Ludouico nostro, Hungariae & Neapolis Rege, satis adeoque potente, qui tueretur Rempubicam, cogitatum fuit; ipso Casimiri, ex filia nepote, Stettini duce, pretermisso, quemadmodum *Piascius hist. Pol. & Spenerus Syll. gen.* p. 266. recensent. Ludouicus ergo, matrem, quae in Poloniam praecesserat, a. 1371. secutus, & Cracouiae, magna solennitate, corona redimitus fuit. Atque ita, ad Hungariae dignitatem Regiam, Polonici quoque Imperii titulos, felix ad diderat, Magnus Ludouicus.

(c) Iste fuerat, qui antiquam Regno potentiam restituit, cum Ramæ, Seruiæ, Galliciae, Salernæ, Lodomeriae, Cumaniae, Neapoli, impetaret, ut loquitur *Nadan.* p. 127. 130. qui addit: neminem illi Regum anteferri, paucos pares putari. Iadram, Venetis, qui suam a vetustissimis temporibus, contendebant, maiore majestatis documento a. 1313. concessit, quam si eripuisset; Friderico Austriae duci, cum Ludouico Bauaro, de Imperio concertanti, auxiliares copias, futuri Austriae & Hungariae nexus arctissimi, praesagium, submitit; atque ita Pisonium, quo sibi Andreas Rex III. ab Alberto Friderici patre, filiam in matrimonium emerat, Hungariae iterum adseruit. Sed quis tanti Regis gesta tam eximia, digne satis prosequatur? neque etiam hujus est loci. Si esset, loquerer de bellis Caroli contra rebelles tam externos, quam domesticos; loquerer de foedere cum Polonis, quo Regnum sibi illud adseruit; loquerer de sancita Hungariae in Neapolis Regnum successione. Sed quorum hæc omnia? conf. *Timonem Epit.* laudata, pag. 44 - 48.

(d) Legat, cui volupe est, Principum imagines cognoscere, Ludouici nostri indolem ap. *Bonfinium* l. c. p. 326. 17. qui, *neminem unquam, tot fauoribus, ac tam propitio populorum ac ordinum omnium consensu, Re-*

fu, Regem creatum, pronuntiat. Saxones Transiluanos tumultuantes, rededit in ordinem; cruciferos in Lithuania fortiter debellauit, Poloniarum Regem Casimirum, aduersus Johannem Regem Bohemiae, mascule ruitus est; Hungariam a frequentibus Tartarorum incurfionibus, praestitit immunem; Venetos, semel atque iterum, ob recuperandam Dalmatiam, bello petiit; Russiam, Hungariae subiectam contra Lithuanos defendit; Carolum, deinde Imperatorem, in Morauia bello adortus est, & quae sunt fortiter, quae feliciter gestorum reliqua, quae fortem omnia, singula Magnum loquuntur, Ludonicum. Magnum dico, cuius etiam posteritati, nonnisi Paruus Carolus, ausus erat oggannire. Magnorum etenim, perpetua quasi quaedam est consensio. De his Ludouici gestis, lege *Turocium, Bonfinium, Nadanyum* II. cc. *Reuayum* Centuria IV. *Rer. Hung.* p. 23. 24. & recentissime omnium, *Timonem* doctissimum, *Epit.* p. 48. seq. quibus, quod ad Polonica, adde *Augustini Koludzky*, historiam Ludouici, Hungariae & Poloniae regis, cum critica *Zaluskii*, *Warsaviae*. 1735. 4ta forma protrusam in lucem.

- (e) Duplex erat Ludouici conjugium, sed nonnisi posterius fecerat parentem. Primum quidem, cum *MARGARETHA* inuit, *Casimiri Poloniarum Regis* filia, quemadmodum ex *Turocio* III. 4. *Bonfinio* p. 329. & *Pethone* videre est. *Renayus* sororem *Casimiri* putat, in *Monarchia & S. Corona Regni Hungariae*, p. 23. cum *Pistorio* in *geneal. regum Hung.* quae exstat in *Bongarsii Scriptorib. Rer. Hung.* cum tamen *Margaretha* illa, *Casimiri Soror*, ducis *Suidnicensis* coniunx, a. 1341. obierit, vid. *Hubner. tabb. geneal.* tab. 95. Plerique, *Caroli IV. Morauiae* tum adhuc *Marchionis*, filiam dicunt. *Turocius*, cum mendacem oportebat fuisse memorem, contra, quam paullo ante scripserat, III. 4. mox III. 51. *Carolo* filiam tribuit *Margaretham*. *Praefatus Rex Ludonicus*, inquit, *duas coniuges habuisse, dinoscitur; primam videlicet praeclearam Margaretham, filiam Excellentissimi Domini Karoli, tunc Marchionis Morauiae, qui postmodum ad imperium fuit sublimatus, & ista sine prole defuncta est; cum prius diserte adseruisset: anno domini 1345. transisse in Poloniam Ludonicum, ad socerum suum, cuius filiam iam acceperat Margaretham.* Componat

ista qui potest, ego certe qui conciliari possint, non video. Sequitur oscitantiam Turocii, *Bonsinii* inconsiderantia, qui, uti solet sine iudicio sequi Turocium, posteaquam idem cum eo pronuntiaffet p. 329, 28. contrarium quoque p. 351, 9. contendit. Quid mirum, si antesignanos hos, reliqua historicorum turba, presso pede sequitur. Idem ergo apud *Ranzanum*, *indic.* 19. & reliquos, immo & Timonem l. c. p. 49. reperiatis. Maxime vero omnium ridendus est *Rittershusius*, dum in *Exegesi historico-genealogica*, Tubingae 1674. edita, tit: de Regibus Hungariae & Bohemiae, primam Ludouici uxorem, Mariam dicit, Caroli quarti Imperatoris filiam, defunctam A. 1449. quam mox in diagrammate Margaretham adpellat. Sed fors aliquam merebitur ipse *Rittershusius*, quem eruditorum gemmam, Gruterus vocitat, excusationem; opus enim citatum, posthumum est; hoc profecto loco, loco numeri 3. numerus 4. a typhotheta male positus, aperte videtur. Quonam vero loco habenda erunt verba illa *Karoli*, quae diserte, filiam eius Margaretham, Ludouico coniungem, tribuunt? quaeque, qui eiusdem sunt opinionis, tamquam indubiatum argumentum, solent producere? Verba sunt haec: *Illa hyeme*, (nempe posteaquam expeditionem in Italiam suscepisset Carolus, atque cum Venetis foedus iniisset,) *in carnis usum tradidimus, filiam nostram primogenitam, Margaretham, primogenito Caroli Regis Hungariae, Ludouico, & ligauimus nos, contra omnem hominem.* Ecquid autem prohibet, verba haec ita intelligere, ut nonnisi desponsatam Ludouico dicas Caroli Margaretham; anno certe illo, quo facta traditio, quam Carolus vocat, 1340. puer erat annorum XIII. Ludouicus. Ipse Turocius, A. 1361. Caroli meminit, cum bellum aduersus eum Ludouici, exponit, neque tamen aliter quam antea, sed clarissimum Principem Dominum Carolum, adpellat; vsque dum, sub finem Ludouici vitae, quae jam citauimus, comminisceretur. His ita constitutis, induci non possum, ut credam, Caroli fuisse filiam, Margaretham, quam matrimonio sibi iunxerat Ludouicus; sed Casimiri potius, Poloniarum Regis, filiam credo, &, in quo omnes consentiunt, sine prole A. 1349. vita decedentem. Recentissime quidem *Celeb. Lenzius*, in *der Präfenden Gesellschaft*.

Gesellschaft P. V. p. 385. iterum Caroli IV. filiam Margaretham docuit, Ludouico desponsatam; sed, cum verba vitae Karoli, quae pro illa sententia pugnare videntur, quae tamen ille non citavit, exposuerimus; liceat & hoc passu a doctissimo viro, cuius alioquin, in Regum Hungariae genealogias merita, veneramur, dissentire. Ad secundas nuptias, Margaretha mortua, Ludouicus transit, cum Bani Bosniae filia, a. 1363. ut *Blondell. tab. geneal.* cui contrarius quidem est *Ratkayus*, in *memoriis Regum & Banorum Dalm. Croatiae & Sclavoniae*, quae a. 1652. fol. Vindobonae in lucem prodierunt; sed illius sententiam retulisse, refutasse est. Jam anno 1344. iunctam Ludouico dicit Elifabetham; cum prior Regis coniunx, anno demum 49. obierit. Quod ad patrem Elifabethae adinet, eum *Bosfinius* pag. 351, 9. 10. Stephanum adpellat, secutus *Turocium* III, 6. 51. *Nadanyus* vero, p. 132. Stephanum Nemanum; *Duronium Tubero*, in *commentario de rebus sui temporis*, L. 1. p. 26. Neque audiendus *Casp. Ens*, qui Transilvanum vult Stephanum, in *Rerum. Hung. historia*. Filiae, *ELISABETHAE* nomen fuit, in quo omnes consentiunt Scriptores, vt proinde nesciam, quid illud in *Hübneri tabb. geneal.* tab. 95. Maria vel Elifabetha? sibi velit; quis Mariam dixit vmquam? Sed nec Regis Bosniae quod putat, quin Bani potius filia fuerat Elifabetha; Bosnia etenim, inferior olim & superior dicta, illa Regalis iurisque Hungarici, haec ducalis, adeoque Bano subiecta fuit. Hungari, suam vsque a Bela coeco, Regnum numquam nominarunt, praeter vnum Ludouicum nostrum, decreto quopiam anni 1351. qui & Tuarteo Bosniae duci, Regium demum honorem largitus est. Bani ergo filiam non Regis, Ludouicus duxerat vxorem: Vid. *Timon Imagine Nouae Hungariae*, Cassouiae 1734. 8. edita, Cap. XVII. p. 211. 212. Atque haec coniunx, tres Ludouico filias peperit, Catharinam, Mariam, & Hedwigam. *CATHARINA* ante pubertatem decessit, *Tur.* III. 51. promissa Ludouico Aureliano, Caroli V. galliae Regis, filio, ut ex *Pistorio* patet l. c. & *Spondano* ad A. 1385. n. 8. Hanc silentio Hübnerus praeteriit. Altera, *MARIA* fuit, parente mortuo, heres Hungariae, quam nunc differimus; puerili vtriusque aetate, Sigismundo, Marchioni Brandenburgico, despon-

desponsata. *Turoc.* III. 51. IV. 1. *Dubrav. hist. Regn. Bob.* p. 142. b. seq. qui vix attigisse Sigismundum, annum quartum decimum, scribit, p. 156, a. Egerat nihilominus, mater, cum Rege Galliae, de filia Ludouico Valesio, nuptui danda, quod ex *Reuayo* l. c. *Spondano*, a. 1385. & *Cromero* L. XIV. didici. Non tamen sine censura hic dimittendus est *Frossardus*, qui in *Historiar. memorabilium* L. II. p. m. 171. edit. 1584. 12. Francof. posteaquam idem retulisset, cum: *deinde*, inquit, *ad gallum missis legatis optabat illius fratrem, Ludouicum Valesium, filiae suae maritum*, turpiter in nominibus impingit, Henricum a Bohemia, Marchionem a Blanquefort, pro Sigismundo Marchione Brandenburgico; eiusque fratrem pro Wenceslao, Carolum compellans. Sed, Gallus est Scriptor, fatis ad veniam impetrandam. Tertia Filiarum, *HEDVIGAE* nomen tulit, quam *Turoc.* III. 51. Adiuagam; Adiuugen *Bonsinius*, *Dragam Paul. a Paulo* ap. Lucium, fors Scripturae vitio, cum alibi Edvigen dicat, nominant. Hanc mater, patre enim viuo adulta nondum erat, (*Cromer. de orig. & gest. Polonor.* L. XIV.) Wilhelmo, Austriae duci, Ambitioso dicto, Leopoldi III. Probi, filio, qui postea, Caroli Parui, aemuli Mariae, filiam Johannam duxerat, desponsauit; fauente Sigismundo, secundum *Dubrauium*, *Bohemiae Regni hist.* pag. 157, b. Est apud *Cuspinianum*, in *descriptione Austriae*, & in *Ehrensiegel des Hauses Oesterreich*, contractus istius matrimonialis, diploma; & in posteriore adnexum quoque, promissum fecisse Leopoldum, a. 1374. Erenbergi, ac confirmasse Ludouici viduam contractum, 29. Jul. 1375. cum 300000. florenorum dote. Sed, praeter hunc sponsum, & *Ziemouitium*, Masouiae ducem, cui postmodum Jagellonis, Poloniae Regis, Hedugis mariti, soror Alexandra, vxor obtigit, procum memorat *Nadanyus* l. c. L. III. c. 2. p. 140. matri tamen Elifabethae, displicentem. Ludouico Regi Poloniae iam An. 1374. promiserat Respublica, coronam alterutri filiarum deferendam, si tributum Polonis impositum, ipse remitteret; (vid. *Cromerus* l. c. L. XIII.) posteaquam e viuis excessisset Ludouicus, itum in varia; exterum Regem, (qualis erat Sigismundus, qui coniugem, si declarata fuisset regina Maria, filia Senior, certo fuisset secutus,) minus sibi conuenire Poloni existimauerant, quod verebantur ne, quemadmodum Ludouicus,

uicus, nunquam fere Poloniam, magno Reipublicae incommodo inuiferet: neque tamen domesticus, qui pro virili tueretur Rempublicam, suppetebat. Hinc, vt & promissis starent, nec ipsi sibi defuisse viderentur, Poloni, Heduigem eligunt Reginam, & Lithuanorum Principi Jagelloni, ad Christianorum sacra accedenti, semoto ipso Wilhelmo, dant coniugem. Coronata itaque a. 1384. a Polonis, Heduiga, vt *Schikfus Schlef. Chron. L. I. c. 31. & Timon. L. c. p. 54.* vberius exponunt: Atque ita sublata Poloniae & Hungariae arctissima coniunctio, nouae Regum Jagelloniorum periodo, locum fecit. Arctum nihilominus foedus inter duos populos in-
itum, coniunctionem pristinam, renouauit, immo confirmauit etiam. *Nadanyus l. c. pag. 141.*

§. II.

Mortuo A. 1382. Rege Ludouico, paternum *MARIA* solium, gloriosa conscendit, *seruebant enim, Hungarorum ante oculos, recentia merita patris,* (verba sunt *Turocii*.) adeoque dignam Hungari reputarunt, quae Regi Patri, filia Regina, succederet (a). Et, vt adfectum, eo euidentius testatum relinqueret Hungaria, altero post sepultum patrem die (b), *magna Hungarorum laetitia,* (*Turoc. IV. I.*) coronata fuit. Rex an Regina, id vero est, quod venit in controuersiam. Regem *Turocius*, *Bonfinius*, caeterique, qui hos secuti sunt, scriptores omnes, dictam pronuntiant; Reginam vero, non Regem nuncupatam, non vnum testatur argumentum. Atque istud est, quod jam disputabimus (c).

(a) *Turocius*, in recensione successionis Mariae, illud etiam addit, *nec- dum vita functi principis, in populo accepti, beneficii amorem tepuisse,*

quod satis omnino fuerat, ad amorem gentis, Mariae conciliandum. *Bonfinius*, pro sua facundia, quae *Turocius* retulit, amplius exponit Dec. III, l. 1. p. 355. Cum autem, immatura esset aetate, quae regnandi artes non caperet, *Elisabetha* mater, *Sagax & ingeniosa mulier*, (vt a *Turocio* nominatur) *discretionisque haud paruae, in principatu & regimine vices filiae, maturitate feminea, gerebat.* Cum autem *Nicolaus Gara*, Palatinus, consiliis; regina nonnisi auctoritate & nomine regeret Hungariam, & vt idem *Turocius*, *iura patriae labefactaret*; proceres aliqui, (inter quos *Zagrabiensis*, eo maiori scelere eminebat, quod a *Ludouico* dignitatem erat consecutus,) *virginale dedignati sceptrum, vtque diademate puellare caput spoliarent, modum queritarunt.* Oppositus Mariae *CAROLVS*, paruus dictus, ex *Apulia*, ad inuadendum Regnum, euocatus. Erat hic, non quemadmodum existimat *Turocius*, *Andraeae*, *Ludouici* fratris; sed *Ludouici Dyrrachini* ducis, qui a. 1362. in carcere defunctus *Neapoli*, filius, nepos *Ioannis Dyrrachini*, *Caroli* *Claudi Siciliae* Regis pronepos, quod vt credam, a *Lucio* p. 245. a & *tabb. Regum Hung.* & plerisque *Genealogis*, inducor. Neque licet hic *Bonfinium*, *Pistorium*, *Nadanyum*, multosque alios fluctuantes, componere; cum peculiari specimine, *Caroli* parui historiam complecti, sit in animo. Hic ergo, quem *Ludouicus* improlis in Hungariam puerum acciuit, in spem successionis educatum; quem *Banum Croatiae*, a. 1370. constituit; quem bello *Veneto* a. 1378. ducem praefecit; tandemque *Neapolim*, posteaquam iurasset *Regi*, nunquam se *Hungariae* & *Poloniae* Regna adfectaturum, (*Lucius* p. 245, a. b. & 252, b.) redire passus est; hic inquam *Carolus*, periurumne dicam an ingratum, ambigo, *Ludouici* filiae, *Mariae*, *Reginae* jam coronatae, aduerfaturus, in *Dalmatiam*, dissuadente licet vxore, aduolauit (*Turoc.* IV. 2.); gubernatorem se *Hungariae* primum (*Turoc.* IV. 6, *Pistor.* I. c.), mox *Regem*, anno 1384. infauftis licet omnibus, (*Turoc. Bonfin. Raynaldus* ad an. 1385.) coronatus, gesserat. Sed luit poenas perfidiae ingentis, paruus *Carolus*; anno enim 1386. ineunte, siue vulneratus, siue illico obtruncatus, vitam certe cum

cum Regimine finit; suo fato edoctus, quod diuinum sit, non humanum opus, meritorum non violentiae, ad Regni moderationem, accessus.

(b) Quis vero ille alter post patris sepulturam dies? *Paullus a Paulo*, 17. Septembris dicit, apud *Lucium*, p. 210, a. cuius sententiam, *Timon*. quoque, *Epitomes chronolog. rerum Hung.* p. 53. suam fecit. Non ita de sepulturae Ludouici Regis, quemadmodum de mortis die, scriptores dissentiunt; quam terminare controuersiam, forte poterimus. XI. Septembris, aliqui dicunt Ludouicum obiisse, id est V. Idus, unde forsitan apud *Bonfinium*, p. 352, 3. loco Iduum, reponendum V. Idus; *Paullus a Paulo* apud *Lucium*, XII. Sept. ponit vitae Ludouici terminum, quem etiam *Timon*, citato loco sequitur, XIII. *Cromerus*, L. XIII. extrem. III. Idus Sept. apud *Ranzanum in Epitome & Ritium*, de regibus Hungariae, qui apud *Bonfin.* reperitur, p. 348, 35. inuenio. Sed & *Bakschay* aliud loquitur, cum II. Sept. in *chronolog. ducum & Regum Hungariae*, quae Cracouiae, 1567, 4. prodiit, mox & *Bonfinio* subnexa, diem Ludouico Regi emortualem, refert. Nos, *Turocium* sequimur, qui regnasse Ludouicum dicit *quadraginta annis, & mense vno, & viginti duobus diebus*, a. 1342. *dominica post festum diuisionis apostolorum coronatum*; atque inde, diem, qua mortuus Ludouicus, quartam fuisse Septembris, pronuntiamus.

(c) *λογομαχίαν* videri omnem hanc disceptationem posse, non equidem dissiſiteor, cum parum forte interſit, Reginam dicas an Regem, Mariam; quae, quod Rex potentia, quod Regina, sexu fuerat. Cum tamen plerique, nescio quid peculiaris, in Regis nomine, quod Mariae volunt impositum, & id, publica quidem auctoritate, inuenisse se autument; liberabor forte suspicione τῆ λογομαχείῃ, si horum confutauero argumenta, meamque, de *MARIA REGINA*, sententiam, euidentissimis documentis, stabiliuero.

§. III.

Et primum quidem, quod ad *Turocium* adtinet, videtur ille mihi fluctuare, cum promiscue Regem dicat (a) & Reginam, Mariam. *Laurentium de Monach* (b), qui
 B 2 Mariae

Mariae temporibus vixit, fecutum se esse ipse profitetur; certiora profecto suppeditaturus, si publica auctoritate Regis nomen Mariae impositum, Laurentius suus, qui illud certe non pressisset silentio, ignorare enim non poterat, prodidisset memoriae; vel constans saltem facti fama, indubitati quidpiam, scribenti Turocio nostro, suggessisset. Sed, istius silentio, & peculiari Reginae inauguratione (c), quae Regum esse solebat, adactus, uti ego quidem existimo, Turocius, ita instruxit, quae hanc in rem consignavit, ut nullum inde praesidium, qui Regem volunt Mariam, consequantur. Illa certe historici verba, quibus *Regem femineum* (d) Mariam appellat, quorum referenda sint, qui Turocium legerunt, adeoque de illius scribendi ratione poterunt pronuntiare, facile adsequentur. Sed opponet forsitan aliquis, *Paulli a Paulo*, scriptoris Dalmatae, de Maria Regis nomine insignita, evidens testimonium (e)? *MCCC-LXXXII. 12. Sept. in aurora, inquit ille, obiit Serenissimus Princeps Ludouicus, Rex Vngariae, & hoc in Ternouia, vnde translatum corpus eius in Alham Regalem, vbi XVI. mensis fuit sepultum; deinde cras, hora tertiarum, videlicet 17. mensis praesentis, D. Maria filia senior antedicti Regis, in ciuitate praedicta, coronata fuit IN REGEM, in cuius coronatione multi milites facti sunt* Ista vero, tantum abest, ut Mariae Regis nomen vindicent, ut potius, longe alium finem dicta a Paulo nostro, credi debeant. Dixi jam, quam

quam diuersa fuerit Mariae Reginae, prae Reginis aliis, quas vidit & venerata est Hungaria, inaugaratio; adeo, vt Rex coronari, non Regina, crederetur (*f*). Atque istud Reginae Mariae, a Reginis reliquis, discrimen, vt indigaret Scriptor Dalmata, coronatam in Regem dixit, euidenti vtique documento, auctoritate & potentia Regem fuisse Mariam, sexu, quem nomen sequitur, Reginam.

(*a*) Initio vitae Mariae, posteaquam de meritis Ludouici Patris, filiae coronationem accelerantibus, locutus fuisset, ita de eius coronatione disserit: *omnis vulgus, concordī animo, hanc Virginem REGEM adpellat: femineum hoc celebri sexum nomine, illustrant: illam alto Parentis in folio locantes, sacro virgineum caput, diademate coronant.* Quae verba, in se spectata, nihil de imposito Regis nomine, & id quidem publica auctoritate, memorant; quin potius, non nisi *vulgum*, eam hoc nomine insigniuisse, docent; nisi forte aliquis, vulgi appellationes, publicae auctoritatis documenta credat, quod absolum foret vel cogitare. Suspecta sunt dudum verba illa, *aiunt, ferunt, dicunt*; vt proinde Turocii illud *appellant*, eodem loco habendum censeam. Accidit plebeculae, quod Paulo a Paulo, vt, quemadmodum commemoravi, peculiaribus illis cerimoniis, Reginis alioquin, quod creditur, inusitatis, ad Mariam Regem dicendam, adduceretur. Operæ tamen pretium fuerit, ad discrepantiam editionum Turocii, hoc loco attendere. Quæ citavi ego, editio habet Augustana, anno 1488. quarta forma, excusa; illa vero, quam *Jacobus Bongarsius*, inter Hungaricarum Rerum Scriptores, Francofordiae ad Moenum, 1600. Fol. editos, procurauit, p. 110. ipsam illam vocem, quæ in lite est, mutatam refert; ita enim habet: *Omnis vulgus, concordī animo, hanc virginem, REGINAM adpellat, &c.* Errorem subesse, apertum eum, cum loco Regis,

Regina ponitur, nemo non videt. Præterquam enim quod plus auctoritatis, editio, quæ XVto Seculo, adeoque Turocii ipsius ætate prodit, sibi præ recentioribus, suo iure deposcat; ipsa etiam verba subsequētia, errorem manifeste satis demonstrant. Cui bono enim quæso, subnectitur illico; *hoc celebri sexum nomine illustrant*; si Regina vox locum habere debeat, non est peculiare quid, principem feminam, coronatam, Reginam dicere, illud vero peculiare est, adpellare Regem. Vox ergo Regis, restituenda. Quid autem ex hac editionum discrepantia colligas aliud, quam quod mutila sit, quod manca, & ψευδο-critici cuiusdam stulto labore deprauata posterior Turocii editio; fidem certe amplius, nisi cum vna alteraque primarum editionum, quarum Sæculo XVto triplex prodit, collata, apud me numquam reperitura. De his Turocii editionibus, lege Maittrairii *annal. Typogr.* Lambecii *iter Cellensē*; Fabricium *ad Tritheimium*: & tandem Czuittingeri *Hungariam literatam*, p. 392. & adnexæ *Bibliothecæ Scriptor. de rebus Hung.* p. 21. Sed videamus jam Turocium, sibi minime constantem; vix Regem adpellatam scribit, cum *Nicol. Garam*, Palatinum, Reginam alloquentem, inducit: *tu, REGINA Hungarorum, proceres tuos, de te curare nihil, annon conspicias?* quid illud Regina? itane vero, quæ publica auctoritate facta, Gara Palatinus ignorabat? Vel si nouit, vti nosse debebat, satis erat imprudens, qui, ad dignitatem Mariæ concessam, ipse, eam blande allocuturus, non adtenderet? Sed, plus vice simplici, Reginam Turocius Mariam dicit. Ita, *extorta*, inquit, *licentia, ad libitum Reginale, exercet sceptrum REGINA*; & alio loco, vbi de Caroli coronatione loquitur; *assunt*, inquit, *REGINAE*, (Elisabetham matrem, & Mariam intelligit) *dura ad spectacula vocatae*. Ita Turocium Turocius refellit. Est tamen, & alter locus, quo, Regem fuisse dictam Mariam, Turocius videtur comprobare. *Ingressum Caroli regis in castrum Budense, & de luctu Reginarum*, exponit, cum ecce, *plebem masculiei nomine Regis ludentem*, proponit; *Rex*, inquit, *qui femina dicitur, periculi est, hunc Carolum, omnipotens ab alto nobis dedit, hunc marem volumus*

imms esse Regem. Nonne dices fatis hic de Maria Rege testimonii? Sed attende ad *plebem*, superius vulgum dixit. Coniunctam se quasi erroris plebs testatur, quod Mariam Reginam, Regem nuncuparit. Quid autem inde aduersus me? nihil profecto; immo stat adhuc sententia, saluo Turocio, non Regem coronatam, aut publica voluntate declaratam, Mariam, sed Reginam.

- (b) De hoc ita in praefatione vitae Mariae, Turocius: *huius Regis Karoli lugubrem exitum, quidam LAURENTIVS de MONACH, Venetus, homo haud indoctus, ipsa gestarum rerum aetate, compendioſo pariter & metrico carmine, perstrinxit, quem in magna ſui parte ſecutus, maxime, ne ex me aliquid facere videar, ea quae ipſe contexit.* vid. *Czuittinger biblioth. ſcriptorum, de reb. Hung.* p. 32. Hoc duce, quid mirum, ſi poeticos flores, vti multis aliis locis, ita & hac Mariae & Parui Caroli historia, inſpergat Turocius, eandemque fidem quandoque mereatur, quam Poetis damus. Non vero Laurentium ſolum interuertit hoc loco Turocius; eſt in Bibliotheca Vindobonenſi Codex historicus latinus anonymi, a. c. 1358. conſcriptus, ex quo, res geſtas Hungarorum, ab origine gentis vsque ad a. 1342. partim ſimpliciter, partim interpolate, muruatus eſt; verba ſunt *Neffelii in Biblioth. Vindobon.* citante *Czuittingero* l. c. Mihi certe colligere inde liceat, compilatorem egiffe Turocium; tantum abeſt, vt quae ipſe examinauerit, conſcripſiſſe credi poſſit:

*Purpureus, late qui ſplendeat, vnus & alter
Affuitur pannus.*

— Sed, fatis hanc in rem.

- (c) Peculiares hae inaugurationis Mariae, cerimoniae, eo redeunt, quod, *cum omni poteſtate Regia, in Reginam vncta; ex more Regum, femina, equites gladio S. Stephani, creauerit.* Ita *Timon Epit. chronol.* P. 53. *Roma*, quem Turocius forte ſeduxit, dum peculiarem aliquam in eius verbis: *Sacro virginicum caput diademate coronant, Ἐμφαεν* quaerit, cum in *S. Regni Hungariae corona*; p. 25, Mariae, praeter conſuetudinem capiri fuiſſe impositam coronam, refert. Verba eius

eius sunt sequentia: *Dubium, fuitne ista Mariae electio ad dignitatem S. coronae? quae alias, nec priorum Regum memoria, nec posteriorum temporum recordatione, caput muliebre umquam attigerat: quandoquidem, consueto more, dextri, sicut suo loco dicitur, brachii S. coronae tactu, Reginae hoc nomine salutantur. Maria vero, more virorum, in capite coronata fuerat. Sed, non ita Revayus pronuntiaffet, si Beatricis, Ferdinandi Regis Neapolitani filiae, Matthiae coniugis, quam Legatus Palatini Comitis, (vt in Bongarsii scriptoribus Rerum Hungaricarum, p. 2. indicis auctororum qui in ea collectione prostant, dicitur,) descripsit coronationem, legisset; si Fenuennae Reginae, Andreae III. Regi nuptae, litteras, quibus Rosnauiam, Ludouico Metropolitanae Strigoniensi donauit, vsurpasset oculis. Cognouisset tum, & ante Mariam, Reginis Vngariae, & post eam, capiti fuisse impositam Sacram coronam. vid. idem Timon. l. c. vbi ita loquitur: *Petrus de Reua hoc loco ait, Mariae praeter consuetudinem, capiti impositam fuisse coronam; verum non legerit coronationem Beatricis Matthiae, a legato Palatini Comitis descriptam; neque litteras, per quas Fenuenna Regina donauit Lodomerio Metropolitanae Strigoniensi, Rosnauiam; in quibus ait, sacram coronam capiti suo impositam fuisse. quidquid sit de hoc, potuit error contingere. Adde PAZMANVM in append. III. Synodi Tyrnauiensis, §. 2. Idem factum Elisabethae coniugi Alberti, doctiss. LENZIVS, in Präfender Gesellschaft, P.V. p. 387. retulit; frustra tamen citat Timonem, qui de Elisabetha, ne quid quidem eo loco. De Fenuennae coronatione, nihil habeo dicere, cum citatum a Timone documentum lucem nondum conspexerit. Sine dubio autem LADISLAI TVROCII, Jesuitae, ad manus peruenit, cum ille & annum MCCXCI. quo profectum a Fenuenna sit, commemorauerit, in Vngaria cum suis Regibus, Tyrnauiae excusa, in fol. a. 1729. p. 227. De coronatione autem Beatricis, scribit utique citatus Timoni legatus: deinde Comes magnus, Regem interrogat, an Diadema Regium vellet reginae imponi? & cum Rex annuisset, ille idem magnus Comes**

& reliqui Magnates, in caput Reginae coronam imponunt, vide *Rev. Vng. Scriptorum varios*, p. 356. Forte vero aliquis, peculiarem Beatrix, non sacram Regni coronam, ex his verbis colligat impositam? (conf. *NIC. ISTHVANFYVM regni hung. hist.* p. 262, b. edit. recentissimae anni 1724. & *REVAYVM* l. c. p. 138.) Sed *diadema Regiam*, quo nomine de corona loquitur historicus, Sacram utique Regni Coronam indigitare mihi videtur; Si peculiaris fuisset in Beatrix coronatione, corona, quid opus erat interpellare Matthiam Regem, humerisne an capiti imponenda? Siquidem vero, ex coronatione Mariae, argumentum depromunt, qui Regem dictam volunt, operae fuerit pretium, de ipsa hac coronationis cerimonia, aliquid disserere. Non me fugit, quod *Revayus* de Reginarum coronatione solita docet; docent illud reliqui etiam Scriptores Hungarici. *BONFINIVS* ita de Maria scribit, p. 355. *ne corona quidem Sacra, diuino quodam numine Vngariae principibus destinata, hanc dedignata fuisse dicitur* (scil. Pannonia). Mariae capiti imposita corona, sed quid hoc ad Regis compellationem? Omnia maiestatis iura, quae conferri in Reges solebant, Reginis, (si *AVGVSTISSIMAM MARIAM THERESIAM*, nuper coronatam, excipias,) insolita, collata fuerant Mariae, proinde & Regum more coronanda erat, capiti corona imponenda. Bracchium non nisi dextrum reginarum, S. Corona tangebatur (*NIC. ISTHVANFYVS*, l. c.), ut significarent Hungari, onus Regiminis, marito Regi impositum, Regina subleuaret. Nunc, cum idem illud onus, Mariae deferreretur, quisnam in partes ferendi oneris vocari poterat? Nihil ergo ex Mariae coronatione praesidii accipiunt, qui Regem dicunt; nisi forte constitutionem Hungariae velint comminisci, qua cautum esset, Reginas, corona capiti imposita, non Regum modo iura, sed Regis quoque nomen, adipisci. Iltiusmodi vero ignorat legem Hungaria. Erat omnino Rex Maria, sed potestate; nomine, quod sexum sequitur, Regina. *Revayum* profecto, cuius verba adduximus, *Timon*, loco citato, eleganter refellit. Obscurus ille est, & non facile intelligendus. Quorsum enim illa verba referas? *dubium, fuit-*

fuitne ista Mariae electio, ad dignitatem S. coronae? anne idem vult, ac dubium esse, num iura Regum, in Mariam fuerint translata; istud vero si adferat, omni historiae contrarius est, sibi ipsi opponendus, cum: *Maria*, inquit, *consilio publico habito, mouit animos Hungarorum procerum, ut sibi imperii axioma, iure electionis, ob maxima Ludouici patris merita, deferrent.* An forte ita intelligendus? non constare, an Sacra Regni Hungariae corona capiti Reginae fuerit imposita? etiam hoc modo sibi ipsi aduersatur. Addit enim illico: *Maria vero, more virorum, in capite coronata fuerat.* Dubium certe, quod mouet, an vmquam ita coronata fuerit Regina? euanescit, coronata nuper admodum, felicissimis auspiciis, **MARIA THERESIA, AVGVSTA, PII PATRIS, FILIA FELICI;** nouo documento, maiestatis iura consummatissima, impositam capiti coronam, ad Regis adpellationem Reginae, adferre nihil. Quod autem subnectit *Timon*, quasi quae scripsit aduersus *Reuayum*, reuocaturus: *quidquid sit de hoc; potuit error contingere;* addita puto, ne forte videretur, *Cardinalem Pazmanum* quem antea citauerat, erroris postulare. Ita enim est omnino, disertis ille verbis, Reginae, coronam brachio impositam, docet; Sed, non de verustissimis quibusque temporibus loquitur, quin potius, de iis modo, quae sua aetate, vel paullo ante acciderunt, fert sententiam. Scribit autem sequentem in modum: *Similiter, quando Regina coronanda est, victionem & reliqua omnia, ex praescripto Pontificali, peragit Archiepiscopus Strigoniensis, & Regiam Coronam, quae capitibus feminarum non imponitur, humero Reginae applicat. Eodem vero tempore, Reuerendissimus Episcopus Vesprimiensis, accedens ad altare, imponit Reginae coronam, quam ipsa Regina sibi procurauit. Ita factum Sopronii, in coronatione modernae maiestatis Reginalis, (de Ferdinandi II, coniuge loquitur) & Posonii, dum Regis Matthiae II. coniux coronaretur. Sed linquo ista omnia; satis, quod euictum dederimus, coronationis solemniam, Reginae, Regis nomen nequaquam tribuere. Neque etiam ritus hic, qualis nunc est, priscis temporibus prorsus idem fuisse, dici potest. Quem admodum enim veteres historiae, recentiorum comparatione non*

semper

semper possunt diiudicari; ita certe, immo multo minus, recentiores ceremoniae, cum priscis eadem existimari, aut illae secundum has, definiiri debent.

- (d) Ita omnino p. 112. Turocius scribit, seditionem a Zagrabienfi praefule concitatam, commemorans. *Nec adhuc, inquit, REX FEMINEVS, paterno in folio, duos per annos federat.* Ecquis vero non videt, dummodo ad narrationis Turocianaee contextum attendat accuratius, vt flosculum aliquem, narrationi suae, dictionem hanc, vti solet saepius, inseruisse scriptorem nostrum. Narrauerat paullo ante, seditiosa Hungarorum consilia, eosque ita loquentes induxerat: *quousque femineum, facile & pronum ad iram, feremus imperium?* proinde, cum nunc ipsam seditionis rationem exponat, indignationis Hungarorum causam, tanquam in transitu repetiturus, Regem femineum Mariam compellat. Plenus est alioquin flosculorum Turocius, vt nonnumquam vix tenere risum possis, ita inepte sparsi sunt, ita sunt longius arcessiti. Sic, cum de fletibus & querelis Caroli Regis consortis, venientis in Hungariam, differit, ita orditur: *Tempus erat, quo redolentium variis florum depictos coloribus, quos sacua aboleuerat pruina, cespites terra novos genuerant, ruptoque dirae hyemis silentio, philomena insomnem ducens noctem, & venturam dulci modulamine aestatem propinquare nuntians: caeteras, in rubenti aurora, cum dormientium oculi, suauitate capiuntur somni, vt sibi rigidi rovis de austeritate eunisse congratularentur; sonora voce auiculas excitabat. Quo etiam ver, posteros suorum graduum, propinquat ad limites, & impetuosis boreae flatibus interdictis, fluctuantes aequoris undas, pace tranquilla adunauerat, ac tutum remigantibus salubreque iter pollicebatur.* Quid haec ad rem, quam exponendam Turocius suscepit? Quid hoc est aliud, quam Ouidii illud aliquo loco, *exordium; Aestus erat, mediamque dies, &c.* Tu vero inde iudica lector, num voci cuidam, seu potius flosculo, scribentis Turocii liceat inhaerere, atque illic, nescio quid pro sua causa, quaerere praesidii.

(c) Patritius erat Jadrensis, quae vrbs Liburniae, Colonia Claudii, *Melae* & *Ptolomaeo* audit, nunc Zara Vechia dicta, vltra Zaram Nouam in rudericibus suis visitur. vid. *Cellarii Notit. orbis antiqui* L. II. c. 8. Sect. 5. §. CXI. p. 489. Vixit Ludouici & Mariae temporibus; ac *Memoriali* suo, quod vocat, innotuit, quo Dalmatiae, Liburniae, nec non conterminarum Regionum vicissitudines, annorum serie, consignauit. Est in Lucii Dalmatia, inter reliquos illius historiae partis scriptores, non postremus. Fide certe, quod coeuius fuit, dignus satis; qui tamen hoc loco, res a vocibus, non vri debebat, discriminauit: Vide *Lucii Dalmatiam* L. V. c. 2, p. 210. seq. Confentit, apud eundem, cum Paulo a Paulo, *Caresinus*, l. c. p. 253. sed non secus, ac prior ille, de potestate Regia, intelligendus.

(f) Adsecutus hic est mentem meam *RANZANVS*, qui eodem fere tempore, cum Turocio atque Bonfinio vixit. Clarissime omnium, de Maria locutus; Ea puella, inquit, totius senatus Hungarorum consensu, Regina coronatur, decerniturque, vt non minus, quam si esset Rex, apud ipsam rerum summa constaret. Vid. *Epitome Rer. Hung.* quae est in *Scriptoribus Rer. Hung. variis*, p. 242. Recens documentum, coronationis cerimoniam, peculiarem licet, Regia enim iura Reginis deferri non solebant, peculiare nihilominus nomen, non conciliaffe. vid. *Nota (c)*. Vidit hoc & obseruauit doctissimus *Timon*, proinde, licet Paullum a Paulo adducat, de Rege Maria verba facientem, adduci tamen non potuit, vt res cum verbis confunderet. Ita potius pronuntiat, *Epitomes* suae p. 53. *Maria, Senior Ludouici filia, cum omni potestate Regia, in Reginam vngitur.* Atque ista sine dubio est Paulli a Paulo sententia, non ita, quemadmodum fas erat, dignitatem Regiam, a Regis nomine, quorum posterius priori contineri existimat, fecernentis.

§. IV.

Iam & *Bonfinium* examinemus adcuratius. Simillimus sibi est, etiam hac in re. Dixi iam quam sit fidelis in describendo Turocio, & adeo quidem fidelis, vt, vbi iste impingit,

impingit, impingere & Bonfinium, ante possis existimare, quam legas. Raro certe, quae scribit, diiudicasse mihi quidem videtur (a), quod si fecisset omnino, uti debuerat Bonfinius, non potuisset non contrarius esse multis in locis Turocio: Atque inde jam patet, quid roboris illorum acceptura sit sententia, qui duce Turocio, Regis nomine Mariam insignitam volunt, eiusque testimonium, Bonfinii consensu, credunt confirmatum (b). Ita vero ille (c): *Mariam tanto studio suffragiorumque successu, tota Pannonia, in Regni fastigium extollit, ut non modo Reginam, sed Regem pronuntiarit salutaritque. Quod sexui natura detraxit, fortuna concitatissimo favore rependit, pro Regina Rex passim salutaritur, & donec virum duxit, iubente Pannonia, pro Rege semper appellata, & in cunctis diplomatis rescripta est:* Quid autem hoc est aliud, quam, quae Turocius & Paullus a Paulo fuggerunt, refutata a nobis partim, partim explicata, repetere, & iis, ne nihil egisse videaris, quaedam dicis caussa, ut eo facilius fidem apud lectores inuenias, satis alioquin incerta, immo aperte falsa, affuere (d). Neque iudicabunt aliter, qui rem ipsam inuestigauerint paullo penitius. Quae cum ita sint, uti sunt omnino, Bonfinii apud me auctoritas, hac quidem in re, nihil potest; quae adducta sunt verba, inter inconsiderate scripta a Bonfinio reliqua, erunt referenda.

(a) Nihil temere adferere, nihil, quod non & tempori & rebus ipsis sit consentaneum, quodue auctoritate indubitata nitatur, lectoribus propinare, examinare quae scribis omnia; verbo dicam, quod iudicium

cium exigit, rite & ad amissim obseruare, id vero est, quod fidem historico conciliat. Lege, si libet, elegantissimam *Cl. BIERLINGII*, *ὅτι ἐν ἀγλαῖς, de iudicio historico*, commentationem & videbis, quid illud sit, a quo pretium Historicus accipit. Falleris vero, si Bonfinium, ad has leges reuocatum, historicum credis, cuius testimonio definiri possit, quod alioquin est controuersum. Retuli §. I. obs. (e) quam sit simia Turocii, quam errantem presso pede sequatur; vt etiam inde facile adsentiaris, incuriae postulanti Bonfinium, & socordiae. Erit forte aliquando, qui pecuniari differtatione, rei istus documenta, per omnes Bonfinii decades deducta, complectatur. Nos, vt fidem iis, quae diximus, conciliemus maiorem, vnum alterumue nunc, quamuis plura suppetant, commemorabimus. Ita, cum apud *Turocium* P. II. c. 27. Michaelis, cuius fuerat pater Toxis, filii, scribae sine dubio vitio, dicuntur: Caluus, Ladislaus, Vazul; *Bonfinius* eiusdem se erroris facit participem Dec. II. L. I, p. 195. *diuo Stephano*, inquit, *Toxis vetustissimo Vnorum genere natus, auus fuit, pater vero Geysa, & Michael patruus, parueles autem, Caluus, Ladislaus, & Vazul*. Non multo post, vbi *Turocius* c. 33. recte vitium corrigit; idem facit *Bonfinius*, p. 214. & quem antea *Ladislaum*, a *Caluo* diuersum; iam *Caluum Ladislaum* nominat. *Calui Ladislai*, inquit, *filios, patrum quondam sui, ad se iubet acciri*. Quasi vero, non potuisset, primo statim loco, corrigere errantem *Turocium*, *Bonfinius*, si attendisset ad solitum morem, principes viros, illis temporibus, certo cognomine, designandi. Sed errare cum *Turocio* maluit, quam, quem sequi in animum induxerat, deserere etiam errantem. De *Bela coeco*, *Albae* sepulto cum *Turocio*, II. 64. consentit p. 286. *Corpus albam*, inquit, *delatum, vbi - - - sepultum est*; immemor illorum, quae p. 27. de *Orodiensi* comitatu dixerat, hunc in modum: *cui Orodium, vbi Belae Coeci Regis est sepulchrum, nomen attulit*. Nonne ista inconsiderate, & sine iudicio scripta sunt? Taceo plura. Dices forsitan, minutiora esse, quam quae diiudicationem mereantur; sed falso; si digna reputauit, quae commentariis suis exponeret, *Bonfinius*,

finius, digna etiam erant, vocari sub examen. Quidquid sit, leuitas inde scriptoris, satis superque potest comprobari.

- (b) Non equidem ignoro, scriptorum consensum, locum aliquem habere in iis argumentis, quibus ad euincenda facta, vti solent Historici; sed magna tamen hic cautione opus est, quem, quis, quomodo sequatur, attendendum; an qui sequitur, ducem suum recte intellexerit, an intellectum, probe diiudicauerit, vel coeco saltim imperu praebuerit ad sensum. Bonfinius certe, tantum abest vt his officiis defungatur, vt potius, quemadmodum praecedente obseruatione demonstrauimus, Turocio etiam erranti, comitem se sine iudicio adiungat. Quid autem isto consensu proficiat, qui ad eum prouocant? parum, aut si quid iudico, certe nihil. Si rhetoricationes, vt ita loqui liceat, infinitas, si inanes plerumque diuagationes, quibus

professus grandia, turgēt,

has, inquam, si Bonfinii decadibus demiseris, Turocium habebis, editum a Bonfinio, & rhetoricis illis artificijs, ita diductum, vt mirum non sit, vastum opus euasisse. Prorsus ita de Bonfinio & Nadanyus iudicat, *Flori Hung. praefatione; Bonfinius ad sua tempora, vnus fere instar omnium, fabulis & nugis, Hungarorum originem replet, alias, longinqua oratione, vero plus dicit.*

- (c) *Dec. III. Rerum Hungaricarum, L. II. p. 355.* Turocius, vulgum dixerat Regem adpellasse virginem; hic, totam Pannoniam; ille, de solo Regis nomine; hic, forte aliquid incertitudinis subodoratus, neque tamen a Turocio suo discessurus, *μὲν ἂν*, Regem & Reginam promiscue salutatam, comminiscitur. Immo, vt eo magis, quae scripserat stabiliret, ad documenta publica prouocat, quae, si quemadmodum nominauit, produxisset etiam, non profecto male, fidei suae consulisset. Sed de his diplomatis, vti vocat, sequenti obseruatione. Hic ad illud in primis adtendimus, quomodo Bonfinii verba, ad citatum Turocii locum, quem priore §. examinauimus, reuocari queant; cum hoc igitur, simul & semel refutata.

(d) Itane

(d) Itane vero, Bonfini, pro Rege semper adpellata, & in cunctis diplomatis rescripta est, Maria? hoc, ita si est, quorsum referes tuum illud; non modo Reginam, sed Regem pronuntiavit salutaritque. Sed scio quid velis. Turocii vestigia legisti, hunc sequeris; non diiudicasti, hinc erras. Vbinam sunt illa omnia diplomata, quae citas, modo vnum proflaret, haberes fidem; sed ita certe, cum in solo diplomatum nomine subsistis, nullum mereris. Suspecta est illa tua ad diplomata & monumenta publica, prouocatio, quod sub initium illico tuarum decadum, L. III. p. 52. *Attilam Mundizici filium, & magni Nembrothi nepotem, Engadie natum, diuina benignitate Regem Vnuorum, Medorum, Gothorum & Dauorum, metum orbis, deique flagellum*, confidenter non minus, quam temere, adseruisti; immo p. 132. continua ferie, inde a Noacho, heroem tuum deduxisti. Dudum est, o bone! quod a sagacioribus quibusque, explosa sunt commenta isthaec, & relata inter fabulas. Ita OTROKOCSEVS Orig. Hung. P. I. c. 1. p. 26. posteaquam has fabulas recensuisset, *quis ferat*, inquit, *detestandum eiusmodi mendacium, aduersus scripturam? scilicet, Cham ex Japhet! Sic, perbelli illi scriptores, turpiter errare faciunt, etiam alios simpliciores; qui, cum Scripturam, ne vel obiter forte aspiciunt, attamen audent, ex scripturis contra scripturam mentiri.* Dignum patella operculum! Tu nihilominus, Bonfini; Seueri dicis nomen imperii, augebat inscriptio, qua in diplomatis utebatur. Eiusdem farinae, quae hic allegas diplomata, mihi quidem videntur, ac illa sunt, quibus tuam, erro, non tuam, sed Turocii de Maria Rege sententiam, munitam voluisti. Quantillum est, quod publicorum documentorum inspexisse mihi videris, Bonfini; magis alioquin *πραγματικῶν* exhibiturus, Hungaricarum Rerum historiam, quam reuera praestitisti. Opponam ego tibi suo loco, aliquot Mariae Reginae diplomata, quae Lucio & corpori Juris Hungarici, inserta reperiuntur; quaeque prorsus tibi tuaeque opiniononi aduersantur. Addis tu quidem, Regem in diplomatis adpellatam Mariam, *donec virum duxit*; sed, nihil hoc proficis. Ea enim erat, desponsata Maria, patris Ludouici destinatio, vt, *dum virgo*

virgo nubile veniret ad annos, nuptias, simul & de Sponso, Regem faceret; quemadmodum Turocius tuus loquitur. Rege facto Sigismundo, illius iam erat, diplomata, suo nomine signare, non Mariae. Cui ergo fini illud: donec virum duxit? iam scio, refugium voluisti, ut haberes, quo te erroris postulatus, posses recipere; addidisti aliquid ex tuo, ut prostaret, quod apud Turocium & Paullum a Paulo, frustra quaerent lectores. Sed, opponam tibi & numum, ubi ipsa se Maria, Hungariae Reginam profitetur, evidenti documento, illam, Regis adpellationem, plebi esse relinquendam.

§. V.

Neque vero moramur recentiores Scriptores. Abducti sunt, *Turocii, Bonfinii*que auctoritate, in errorem plerique, & hinc aequae ac duces sui, Mariam Regem comminiscuntur. *NADANYVS (a)* Turocium interuertit, cum: *Maria, inquit, ut, quod Sexui deest, suorum voluntate suppleretur, pro Regina, Rex salutatur. MAVSOLEVM REGNI APOSTOLICI REGVM,* ubi ad Mariam ventum est, aequae ac priores illi, Regem dicit (*b*). *CHRISTOPHORVS PARSCHITVS,* de Maria locutus, *pro Regina, Rex, inquit, sine exemplo, salutatur (c).* Sed eadem haec sunt Bonfinii verba, nisi quod voculam, *passim,* omiserit, qua tueri se aliquantulum Bonfinius posse, suamque sententiam, credebat. Caeteri idem scribunt, quod & de *REVAYO* testatum dedimus (*d*). Et, quemadmodum error errorem trahit, ita & exteros Scriptores, cum de Maria Hungariae Regina mentionem iniiciunt, Regis illi nomen tribuere videas. Dabit se occasio, sub finem commentationis,

D

vbi

vbi sententiam nostram numo confirmabimus, aliquid hanc in rem fufius differendi (e). Quid fentiat *RANZANVS*, & quam iudiciofe verfatus fit hac in re, iam dictum est (f). *TIMON* profecto, vir omni noſtra laude major, quem tamen fata literatae Hungariae inuiderunt, optime omnium litem dirimit, cum (g): *Maria*, inquit, *ſenior Ludouici filia, cum omni poteſtate Regia, in Reginam vngitur, XVII. Septembris, per Cardinalem Demetrium, & ex more Regum, femina, equites gladio S. Stephani creat.* Atque ita prorfus Paullum a Paulo fumus interpretati.

(a) *Libro III. Flori Hung. Cap. III. p. 142. Nadanyus, nobilis Hungarus, ſcriptor eſt, alioquin comtus, ſed plus etiam iuſto comtus quandoque. Gloriatuſ ille quidem in praefatione libelli, ſe ob fordidum, vt videtur, libellum ſuum, plus ſexcentos auctores perlegiſſe; at enim vero, vtinam etiam iudicio vbique fuiſſet uſus, non ita ſaepe cum ſuis, quos ſequitur, impingeret. Hoc certe loco, idem dicit quod Turocius, qui, cum ſit reiectus iam, Nadanyum non moramur.*

(b) Prodiit illud Noribergae, fol. 1664. cum verſione operis germanica. Auctoſ fuerat, Comes Franciſcus de Nadaſd, idem ille, qui Reuam recuſum procurauit. *Continet vero Mauſoleum iſtud, effigies ducum & Regum Hungariae, a Keue I. uſque ad Ferdinandum IV. ſingulorum cum inſcriptionibus in ſingulos directis, ſtylo lapidari. Verba ſunt Exuittingeri in catal. ſcriptor. rer. Hung. p. 31. 32. Mibi certe, magis verborum elegantiam, quam hiftoriae veritatem exactam, obſeruafſe Auctoſ videtur: quid, quod & Veneres ſaepius in rem ſuam rapuerit magis, quam aptauerit.*

(c) *CHRISTOPH. PARſCHITIVS*, Nob. Hung. Scholae Schemnienſis Reſtoſ, poſteaquam amotus eſſet ab officio, in Germania victi-

visitabat; quod hic citamus opusculum, *tabella Hungariae Ducum & Regum Christianorum*, inscribitur, Witteb. A. 1702. excusum. Incipit a S. Stephano, desinit in Josepho. Bonfinii plerumque verbis vsus est, neque, si breuitatem excipias, quae nonnisi Rerum a Regibus gestarum summa capita recenset, magnam meruit laudem. Adulator certe magnus erat. Quae de Maria loquitur, lege ap. Bonfinium, in ipsa tabella vero p. 59.

- (d) §. III. n. (c.) *Petri Comitis de REVA*, de corona Hungarica libellus, Augustae Vindelicorum, a. 1613. prodierat primum, auctior demum recusatus, auspiciis Illustriss. *Comitis Francisci de Nadasd*, Francofordiae, 1659. fol. Elegans opella, quae annales Rerum Hungaricarum, ab ipsa gentis origine, ad annum vsque 1619. summam complectitur; & in qua, praeter nimiam dictorum confidentiam, & credulitatem, quae nullum, saltem rarius, auctorum examen admitterat, nihil desideraueris.
- (e) Reperi tamen *ANDREAM ANGELINVM BONTEMPO*, in *historia della ribellione d' Vngheria*, quae Dresdae excusa, in 12. 1672. prodiit, pag. 12. cum Regum Hungariae seriem recenset, ita de Maria loquentem, vt Reginam non Regem dicat. Quod plerique Scriptores exteri, aliter; & cum Bonfinio.
- (f) §. III. n. (f) *RANZANVS*, monachus Siculus, Ferdinandi Regis, ad Matthiam Regem Hungariae, legatus, quam Epitomen rerum Hungaricarum, in XXXVI. indiculos digestam, concinnauit, ex indicibus Regum, quos Viennae acceperat a Regina Beatrice, congestit, quemadmodum refert Czuittingerus. Struam illè quidem olere vna cum Ritio, Nadanyo videretur, Flori Hungarici praefatione; sed longe aliter iudicare debebat optimus Nadanyus, de viro, qui non quidem cothurnatus incedit, sed veritati tamen inuestigandae, non inanem nauauit operam. Multa tu, quae apud Bonfinium, vel mendosa sunt, vel minus accurate posita, apud Ranzanum restituta correctaque reperias. Ipsa Ranzano simplicitas, tanta industria comitata, laudi cedit. Quod quidem illa etiam de Maria Regina commemoratio, satis testatur.
- (g) *Epitome chronolog. Rer. Hung.* p. 53. *SAMVEL TIMON*, e Societate

cietate Iesu, in Cassouienſi academia Philoſophiae Profeſſor, ante annos aliquot fato ſuo functus, magnam ſibi rerum Hungariae exacta notitia, laudem circumpoſuit. Praeter laudatam Epitomen, *imaginem edidit antiquae & nouae Hungariae*, anno 1733. & 1734. Caſſouiae, forma octaua excuſam, cuius vide in Actis Eruditorum anni 1742. menſe Martio p. 157. ſequi recenſionem. *Purpura Pannonica*, quae Purpuratos Hungariae recenſet, quaeque ſub eius nomine prodiit, non ipſius eſt opus, ſed R. P. Skodae, Ieſuitae, qui, quod e tabulario in primis Agrienſis Epiſcopi concinnauerat Schedion, Timoni edendum commiſerat. Sic vos non vobis mellificatis apes! Timon certe, ſcriptor eſt, ſi quid iudico, iudicioſus, alienus a partium ſtudio, modeſtus, tantum abeſt vt plerorumque exemplo, in refellendis erroribus, efferueſcat; concinna vbique vſus breuitate, diſtione etiam ſatis latina, nulli non, qui certiora ſequitur in Hungariae hiſtoria, commendandus. Suffragantur hoc loco, Timoni, quae *MICHAEL SIGLERVS*, Syndicus Cibinienſis, Stephani Bathorii temporibus, in *chronologia Rerum Hung. Tranſiluanicarum & vicinarum Regionum*, ad a. 1383. de Maria retulit. *Maria*, inquit ille, *Ludouici Regis filia, Hungariae REGINA annis duobus*. Edidit Scriptorem hunc, ex MSto illo, quod Bathorio ipſi, Siglerus obtulerat, Optimus Parens, *MATTHIAS BELIVS*, Hiſtoricus Patrius, Soc. Scient. Londin. & Berolin. Sodalis, in *Adparatu ſuo ad Hiſtoriam Hungariae*, quem ſumtibus Philoſtorum patriae A. 1735. Piſonii, in folio, partitum in Decades, edere coepit; quo, Decadis Primae, Monumentum ſecundum, Siglerus occupat.

§. VI.

Atque ita, impugnata Turocii oſcitantia, reiecto Bonfinii, & qui hunc ſecuti, recentiorum conſenſu; eliſa ſunt, quibus, de Maria Rege ſententia, innitebatur, argumenta. Iam, de noſtra nobis cauſa proſpicendum eſt; conquirenda, quibus, *Regina dicta Maria*, & publica

publica quidem auctoritate dicta, demonstratur argumentis. Sed, non conquirenda, in promptu cum sint. Qui fieri enim quaeso potest, ut, quae ipsa se in numis, in literis publicis, Reginam dixit, publicis adeoque documentis testata est; quae ita Sigismundo semper adpellata, quomodonam illa, inquam, Rex dicta, aliqua saltem auctoritate, dici potest (*)? Sed videamus primum numos.

(*) Argumenta quae a numis atque diplomatis peti solent, ita sunt comparata, ut non facile, saltem ab iis, qui publicae auctoritatis documenta esse non ignorant, vocari possint in dubium. Plus istiusmodi documentis proficias, quam Turociano illo, ferunt, aiunt, dicunt, adpellant, & quae sunt incertissimorum argumentorum reliqua. Licet vero, non aequae sit expeditum semper, de numi, diplomatisve *adverbia*, iudicare; adeo, ut doctissimus quoque *Hoffmannus*, Wittebergensium nuper Historicus, sustinuerit adfirmare, nullum esse diploma, ubi non aliquod examinanti dubium possit exoriri, genuinumne sit, an suppositum: tamen, nostra in re, tam omnia rebus & temporibus apprime conveniunt, ut genuina pronuntiare, profus non ambigam. Quod ad Sigismundi compellationem adinet, & hanc addo, quod credam, Regem hunc, Mariae coniugem, numquam commissurum fuisse, ut, quam Hungari Regis nomine insignitam volebant, ipse, non aequae Regem, sed Reginam, compellaret. Quod nihilominus cum fecerit, ut suo loco ostendetur; quid obest, quo minus, & hoc Sigismundi testimonium, argumento mihi sit, Mariam, non Regem fuisse dictam Hungariae, sed Reginam.

§. VII.

Prior numus, argenteus est, quem hic exhibemus, grossum magnitudine fere exaequans. Prior illius

facies, priscum Hungariae Regni insigne, crucem duplicatam, absque montibus & corona, quemadmodum nunc quidem est in usu, exhibet, cum περιγραφή: *MONETA MARIE*, averſa parte, litera M. viſitur, eo caractere, qui Monachalis audit, uſitatus illis temporibus. Hanc, corona tegit, aperta, ſtipata lilio vtraque ex parte, circumpoſitis verbis: *REGINE VNGARIE*. Principium vero & finem vtriusque inſcriptionis, crux ſeparat. Haec inſpicientibus numus exhibet. Exulat, ut vides, *Epocha*, quo tempore numus cuſus; ſed obſervandum probe, ante Saeculi XVI. initia, non ſolitos Hungaros, monetae vulgari, qualis haec noſtra eſt, epocham adiicere, niſi forte, extraordinarii quid, Princeps imperaſſet (*a*). Atque inde, facile adparet, numum, Saeculi XVIi aetatem, omnino ſupergredi. Licet vero, non Regis nomine, numus hic noſter inſcribatur; tamen, Mariae noſtrae, illis que temporibus, eum ut vindicemus, euidentibus argumentis inducimur. Quae, ut, qui Mariam Regem dicunt, redeant cum vapulante Priſciano ſuo in gratiam, jam exponemus. Numus, inquam, decimi ſexti ſaeculi aetatem excedit. Teſtimonio ſunt literae, quam eſſe poſſunt, rudes; teſtimonio deficiens *Epocha*; immo totum denique numiſma, teſtimonio eſt, ſpirat enim vndique, non levem aliquam vetuſtatem. Neque opus eſt, de Reginis, ante hanc noſtram,

nostram, Mariae nomine insignitis, esse sollicitum (b). Monetæ vox, pro nostra *Maria*, Ludouici I. Regis principe filia, satis euidenter loquitur. Quid enim moneta est aliud, quam solita prouinciae pecunia? quod, si ita est, uti est omnino, cudi a nemine alio potuit, quam qui ad Regni ipsius gubernacula, confederat. Non est vero inter omnes illas, quae Mariae dictae sunt, Reginas, vlla, cui concreditam Regni moderationem, possis adfirmare, praeter vnâ hanc nostram, potestate Regem, sexu & nomine Reginam. Confirmant, quae diximus, literae *M.* initiali nominis Mariae, lateribus adposita *lilia*. Auus Mariae, Carolus, Hungariae Rex, pronepos Andegauensis Caroli, qui Regnum Neapolis sibi suaeque genti adferuerat, Hungariae Regni insigniis, insigne etiam gentis suae, francica lilia, adiecerat. Istos flores, sparsos saepissime videas in Hungariae numis, & bipartiti scuti parte altera exhibitos, immo adiectos etiam signis quibuscunque aliis, quae numi referunt. Neque desideres, qui Regum, originis Andegauensis, temporibus, totam scuti partem alteram, lilio insignitam referant (c). Lilia igitur, hoc loco, certo nobis documento sunt, Mariae nostrae hunc numum esse. Est in Serenissimi Principis Gothani, numaria supellectile, quam, quisquis vidit, miratus est & stupuit, Mariae aureus, ex utroque latere effigiei S. Ladislai, lilio stipatus; quae quidem conuenientia,

nientia, argumentum pro re nostra, deductum a liliis, mirum in modum confirmat. Et si fuerit forte, qui insolitum numi genus, litera *M.* signatum, nostro adeoque huic fidem denegandam, existimet; prodet ille eo ipso, paucas Hungariae Regum vetustissimas monetas, venisse sibi in conspectum. Ipse Mariae Parens, Ludouicus, numos curauit, quorum vna facies, solam litteram *L.* initialem nominis, exhibet. Quidquid sit, Moneta exposita, satis superque, pro vetustate sua, proque Mariae nomine, quod inde demonstramus, loquitur. *Non ergo REX, Maria; Sed, quemadmodum numus, documentum omni exceptione majus, quia publicum, compellat, Hungariae REGINA.*

(a) Ordinarios dico numos, quos Germani, *courante-Münze*, nominant; de cufis extra ordinem, non disputo, neque etiam ex his, in instructissima collectione numaria Gothana, vno plures, deprehendas. Mathiae Coruini est aureus, vnius formae, ponderis duorum, & peculiare quid exhibet, anno 1489. inserto, sine περιγραφή. Quales quidem proflare plures, prorsus non dubito. Inde tamen argumentari aduersus me, aequè esset ineptum, ac si quis, quod album coruum conspexit, album nonnisi coruis colorem vellet adserere. Vidi numum aureum, quem Augustissima Regina, Maria Theresia, Illustris Kolleri, magnæ spei filio, in Academia Viennensi eruditionis specimen edenti, obtulit, cum inscriptione: *Maria Theresia, Dei gratia Rex Hungariae.* Quis vero inde, Regem dici, non Reginam, Celsissimam Principem, vnquam pronuntiet?

(b) Huc pertinet, *BELAE IV.* Maria conjux, Græcorum Imperatoris filia, (*Turoc. II. 76. Ens, p. 70. Pazman, p. 121.*) Anno 1217. ducta in matrimonium. Huc pertinet *STEPHANI*, qui mortuo Ladis.

Ladislao, A. 1172. coronam rapuit, eodem anno coronati (*Turoc.* II. 68. *Bonfin.* p. 269. 30.) Maria, Isaaco Sebastocratore nata, vt *Nadanyus, Flori Hung.* L. II. c. 15. p. 100. refert. Taceo, si quæ sunt, alias. Omnes tamen, quotquot inuenias, Regum coniuges, adeoque & Reginarum nomine, insignitæ fuerunt. Nostra vero Maria, Regiam potestatem in se collatam vidit, & ipsa demum, e marito Sigismundo, secundum patris voluntatem, Regem fecit, Regina. Ita *Turoc.* exordio vitæ Mariæ: *puero impuberi Sigismundo tali pacto, vt dum virgo nubiles veniret ad annos, nuptias, simul est de Sponso, Regem faceret, matrimoniali foedere irretita est.*

- (c) Quid, si ab his Andegauensium regibus Neapolitanis, *Floreni* vocem esse deriuandam, adseram? in neapolitanis primum ditionibus, ob lilia in numis cõspecta, vsurpatam. Hoc nomine vulgares olim aurei insigniti; immo ad hunc vsque diem, aliqua forte ad Andegauensem in Hungaria gentem allusione, ab Italis, *Ongarè* dicuntur, quos *ducatos* nos dicimus. Atque ita, si vera est coniectura, de floreni origine, nostris temporibus soluendum reliquisse ænigma *Virgilium* credas:

Dic quibus in terris, inscripti nomina Regum

Nascentur flores?

Bucolic. Ecloga III.

Cæterum, suum cuique esto iudicium de vocis origine, cum nomen fugiat, in omnia alia abire, qui hanc in rem aliquid memoriæ prodiderunt. Neque moror recentissimum scriptorem, qui *Floreni* vocem, a *Florentina vrbe*, ob nominum forte conuenientiam, quæ mihi quidem vltimum semper argumentum, ne dicam desperatæ causæ refugium, esse solet ac debet, deriuauit. Hæc tamen, obstinata industria, hoc loco disputare, nostra quidem destinatio non fert.

§. VIII.

Stabilito, hoc tam euidenti, pro re nostra, testimonio, facile coniicias, quo, numus ille aureus, quem Celeberrimus *Koehlerus*, insigne decus litterati orbis, in nu-

E

mis-

mismaticis deliciis suis (a), operose non minus, quam docte exposuit, sit referendus. Aureus est Mariae, altera facie, S. Ladislai effigiem; scutum bipartitum altera, cum Hungariae ac Neapolis insigniis, & *περὶ ραϕη*: *MARIA DEI G. R. VNGARIE*, referens. Non hic R littera, ad terminandam de Maria, Rege an Regina, controuersiam, sufficit; quin potius, postquam argentea illa moneta, Regnam dixit, & hic aureus, ita exponendus erit, vt cum prior consentiat. Vir doctissimus, litteram ita explicat, quemadmodum Turocio, Bonfinio, & Nadanyo, a quibus abductus fuit in errorem, consentaneum existimauit. *Rex*, inquit, *non Regina, legendum* (b). Nos, posteaquam Turocii Bonfinique auctoritatem, nullam hoc loco esse; recentiorum vero, quod istos vnice secuti sunt, consensum, nihil facere ad rem, demonstrauius, non possumus non R illud ita interpretari, quemadmodum prior Mariae numus id a nobis exigit, argenteus ille, qui voce ipsa, quod hic littera, *MARIAM REGINAM*, testatur. Neque dubito, consensurum fuisse celeberrimum *Koehlerum*, si priorem illam monetam conspexisset ante, quam hunc Mariae aureum exponendum adgrederetur. Sed, rarissimus ille est, & cum aurei raritate, prorsus non comparandus. Prius tu decem Mariae aureos, quam vel vnum numisma argenteum, reperias. Qui ergo, pro Rege Maria pronuntiant, ad hunc numum, vel non prouocent; vel, si prouocant, dicant velim, quorsum moneta
prior

prior referenda? Literam enim, voci cedere debere, vix crediderim, ex voce autem, in eiusdem Reginae numo, & initialem literam numi alterius posse diiudicari, & ii vident, qui alioquin paucissima. Duplici igitur hoc numo, argenteo altero, altero aureo, duplex, nostra quidem de Maria Hungariae Regina, sententia, robur consequitur.

(a) Historische Münz-Belustigungen, quae A. 1729. Noribergae edi coeperunt, P. I. num. 1. p. 1. vsque p. 8. Ipsa celeberrimi Koehleri destinatio, eam apud eruditos omnes, adprobationem meruit, quam iure suo meritoque deposcit. Nemo historicae antiquitatis, nemo numariae rei dignus aestimator, libro hoc facile careat, qui, licet alios quoque ad istius modi labores incitauerit, omnes tamen & singulos, longe post se relinquit.

(b) Verba ejus l. c. p. 7. haec sunt: In der Umschrift muß gelesen werden, Maria dei gratia, Rex, und nicht, Regina, Vngariae; weil die Ungarischen Scribenten ausdrücklich melden, daß sie die Ungarn nicht eine Königin, sondern einen König betitelt, und sie sich auch selbst in ihren diplomatis genennet. Haec Koehlerus; quae nos, ita se habere negamus atque pernegamus, quoad vsque producta fuerint diplomata illa, quae, Bonfinio duce, Cel. Koehlerus commemorat; idque si fuerit praestitum, moneta argentea quam exhibuimus, diplomataque cum ea consentientia, quae mox dabimus, refellantur. Bonfinius, nominauit diplomata, non retulit; illud, vt fidem sibi conciliaret apud Lectores, quemadmodum §. IV. docuimus; hoc, quia non potuit, cum pauca Hungariae Regum diplomata inspexisset, mihi quidem Bonfinius videatur.

§. IX.

Neque minoris sunt auctoritatis, Mariae, & literae,

& diploma, quorum illas apud Lucium, hoc in corpore Iuris Hungarici Verbeocziano, reperias. Non prouocandum nobis ad Scriptores alios, non standum aliorum testimonio; ipsa pro se Maria loquitur, Reginam se, non Regem dictam, testatur ipsa (a). Quod ad *Lucium* adinet, loquitur ille primum (b), ex *Caresino*, de Caroli Parui in Hungariam aduentu, & coronatione secuta, hunc in modum: *in Dalmatia pro Rege habitus non est, nomenque Reginae Mariae, continuatum fuit, sed, cum regnare non permetteretur, pro regnante, impedita Maria Regina, Scriptura Spaleti 1385. 13. Oct. exprimit.* Si impedita Regina, Regina fuit dicta, non Rex; quod nouum est pro sententia mea, argumentum, & eo quidem firmiter, quo euidentius patet, Caroli Parui, Regis in Dalmatia nomini, quod denegatum; Reginae Mariae adpellationem, e diametro opponi. Sed pergit *Lucius*, & Mariae apud Croatiae Banum, post trucidatum Carolum, captiuitatem, mox & factam, Sigismundo in Hungariam redeunte, liberationem, recenset (c). *Anno 1387. inquit, die 4. mensis Junii, de mane, Serenissima Princeps & Domina nostra naturalis, domina Maria Regina Vngariae, liberata fuit a captiuitate, - - - & die Jouis, in nomine Sanctae Trinitatis, coniunxit se cum Rege illustri, consorte eius.* Quae nos verba, eum in finem adducimus, vt, posteaquam litteras Mariae (credentiales vocant), commemorauerimus, pateat, ante nuptias adhuc cum Sigismundo

mundo celebratas, quarum hic dies significatur, prostare ipsius Mariae documentum, Reginae, non Regis nomine, inscriptum. Ipsae autem litterae, quibus legato suo *Thomae Sovich*, de Sibenico, fidem haberi vult Maria, ita sonant (*d*): *Nos, Maria, D. G. Regina Vng. D. Cro. &c. vobis fidelibus nostris, dilectis Comitibus ciuitatum Nostrarum, Sibenici, Spalat. & Trag. salutem & gratiam. reliqua. In fine autem: Datum Lucchae in villa Dolac, die 4. mensis Junii, 1387. sub sigillo Butcho Comitis Corbauiae, curiae nostrae Magistri Ospatini, his praeterea studuimus facere sigillari sigilli praedicti Ospatini curiae nostrae, quia ad praesens sigillo caremus.* Haec Maria. Nos inde, Reginae illi nomen, compellatione Regis inter fabulas vetustatis reposita, vindicamus. Scripsit ista, restituta decori pristino, Regina; scripsit ad fideles dilectos Comites suos, quibus, vt semoto tantisper, si reuera vsurpasset, Regis nomine, blandiretur, necessum non habuit; scripsit, cum legatum mitteret, certo vndique indicio, Reginam fuisse, non Regis nomine, coronatam. Sed nunc demum adparet, quam inepte Bonfinius, *semper, donec virum duxit*, Mariam Regem dictam, adfirmarit. Litterae, IV. Junii scriptae sunt, eo ipso die, quo in libertatem adserta Regina; die Iouis demum, quemadmodum locus citatus loquitur, Sigismundo iuncta; quod aliquot dierum interuallum indicat. Nostra igitur sententia, & hoc testimonii praesidio, satis confirmata (*e*).

- (a) Et merito quidem, Mariam ipsam, de Reginae nomine testari, adfirmamus; quis enim litterarum, quæ Regia auctoritate missum legatum docent, inscriptionem priuatus immutet? quis Reginam scribat, cui Regis nomen inditum? Certa hæc & perpetua lege ita sunt constituta, vt Principis, quale reuera est, nomine & dignitate, litterae muniantur. Opus est publicum, quod prorsus non fert, blandas illas Regis adpellationes, quas ab illis, quorum interfuit, nonnunquam concessas Mariae fuisse, quia Regiam habuit potestatem, non disputamus.
- (b) *Dalmatiae* L. V. c. II. p. 253. praeunte Carefino. Paulus enim a Paulo, quemadmodum ipse perhibet Lucius, de Caroli parui in Regia Budensi aduentu, nihil prorsus retulit.
- (c) l. c. p. 254. a.
- (d) l. c. p. 254. b.
- (e) Recte hic *Parschitius* nobiscum consentit, in *tabula Ducum & Regum Hungariae christianorum*, p. 61. *Postea Maria*, inquit, *consuetudine coniugali, Sigismundo, Marchioni Brandenburgensi, e carcere liberata, iuncta, &c.* Quomodo ergo conciliabuntur inuicem, verba III. *LENZII* in *der præsidenten Gesellschaft* p. V. 390. am 4. Jun. 1387. *Kam sie (Maria) erst loß, und darauf reisete sie zu ihm (Sigismundo) nach Ofen, & paullo ante p. 389. vermählte sie sich im Monath Junio 1386. zu Zagrabia an Sigismundum.* Haec inuicem pugnant, neque conueniunt cum iis, quae Lucius testatur.

§. X.

Quod in Dalmatia sua Lucius, hoc *Verbeoczius* in corpore Iuris Hungarici (a), testatur, vbi in decretorum Regalium numero, *Confirmationem decretorum Andreae (b) & Ludouici Regum, per Mariam Reginam, sub pendenti sigillo duplici, factam*, recenset. Decretum Mariae Reginae est, non Regis, cui, prout *Verbeoczius* recensuit,

eo facilius locum hic concedimus, quod, neque in omnium est manibus Verbeoczius, neque impetrare a nobis possumus, quin exstare velimus documentum, quod, qui legit, vltro Bonfinio opponat, frustra alleganti diplomata Mariae omnia, in rem suam. Verba decreti, haec sunt: *Maria, dei gratia, REGINA Vngariae, &c. omnibus Christi fidelibus, tam praesentibus quam futuris praesentium notitiam habituris. Salutem in omnium Salvatore. Ea quae Reipublicae, seu communis boni gratia commoda respiciunt, tenemur aspicere consideratione gratiosa: quia thronus Excellentiae Regalis culminis, (culminis legendum) tanto solidatur feliciter, quanto principatus suos subiectos, optatae pacis praesidio, duxerit consoquendos. Proinde, ad vniuersorum notitiam, harum serie volumus peruenire, quod, Serenissimo Principe Ludouico, Dei gratia inchoyto Rege Vngariae, Poloniae, Dalmatiae, &c. genitore nostro charissimo, volente domino coeli, cuius nutu omnia reguntur & disponuntur, absque prole masculina, de medio sublato, nobisque successoribus, & ordine geniturae, solium & coronam dicti Regni Vngariae, ac Sceptrum Regni ipsius genitoris nostri, feliciter adeptis, Praelatorum, Baronum, nec non Procerum ac nobilium Regni nostri, coetus, & vniuersitatis idempritas, missis ad nos, & inchoytam Principem Dominam Elizabeth, eadem dei gratia, Reginam Vngariae, Poloniae, Dalmatiae, &c. genitricem nostram charissimam, eorum nuntiis, nobilibus scilicet viris, Paulo literato de Paduersya & Dionisio, filio Dominici de Osztopan, exhibuerunt nobis quasdam litteras priuilegiales ejusdem genitoris nostri, alias litteras, Illustrissimi Principis, domini Andreae tertii, Belae Regis filii, olim, inchoyti*

clyti Regis Vngariae, aui & prædecessoris nostri piæ recordationis, super libertatibus ipsorum Baronum, nec non procerum & nobilium Regni nostri, confectas, iuste confirmatiue continentes, tenoris & continentiae per omnia infra scriptæ, supplicantes nostrae serenitati precibus humillimis & deuotis, ut memoratas literas priuilegiales, ipsius Genitoris nostri, de verbo ad verbum præsentibus inseri & transcribi facientes, simul cum libertatum articulis, tam per ipsum dominum Andream, quam etiam genitorem nostrum, ipsis datis & concessis, & in tenoribus eorundem expressis, acceptare, approbare, ratificare, & innouatiue nostro dignaremur priuilegio perpetuo confirmare. Quarum tenor talis est: &c. Nos itaque præmissis supplicationibus memoratorum Praelatorum, Baronum, Procerum ac nobilium Regni, per dictos eorum nuntio nobis porrectas, fauorabiliter exauditis, memoratas literas priuilegiales paternas, præsentibus de verbo ad verbum insertas, quoad omnes earum continentias & clausulas, acceptamus & approbamus, ratificamus, & nostro, prædictis Baronibus, proceribus, et nobilibus Regni nostri, priuilegio perpetue confirmamus. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentibus concessimus literas priuilegiales nostras, pendentis & authentici sigilli nostri duplicis, munime roboratas. Datum per manus reuerendissimi in christo patris & Domini, Demetrii, diuina miseratione, tit. Sanctorum quatuor coronatorum, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, ac S. Strigoniensis Ecclesiæ, Gubernatoris perpetui, locique ejusdem Comitum similiter perpetui, ac Aulæ nostræ fidelis Cancellarii, Anno Domini MCCCLXXXIV. X. Kal mensis Julii, Regni autem nostri anno tertio, &c. Hucusque decretum Mariae. Quis inde non

non videt, & quale decretis Maria nomen praeposuerit, & quando ipsum hoc decretum fuerit publicatum; anno nimirum 1384. ergo longe ante nuptias cum Sigismundo celebratas (c), quod denuo, Bonfinii illud, *donec virum duxit, infringit.*

(a) Stephanus Verböczius, equestris ordinis, Vladislao II. Rege, protonotarius iudicii curiae Regiae, inclaruit, a Ludovico Vladislai successore, legationis Romanae honoribus, aliisque beneficiis, ornatus; postea vero, quam contra Regem, immemor acceptorum beneficiorum, conspirasset, anno 1526. velut perduellionis caput, cum Zobyó, collega suo, proscripsum fuit. vid. *REVAYVS* in *Monarch. Regni Hung.* p. 65. Ius ille consuetudinarium Hungariae, decreta, constitutiones & articulos, seu leges Regum Hungariae, in vnum corpus congererat, quod ipse Rex Vladislavus, Budae A. 1513. confirmavit, & nomine Regio publici juris fecit, Budae primum, tandem Viennae, postea & Tyrnaviae, typis excusum; conf. *CZVITTINGERI hung. litter.* p. 399. 400. Nos, editione Tyrnaviensi utimur, anni 1696. in fol. cuius Tomo secundo, p. 59. 60. decretum, quod adduximus, continetur.

(b) Andreae nimirum tertii, quem filius Bela IV. excepit in Regno, quemadmodum ipsum nos diploma edocet. Erat nimirum, & adhuc est in more positum, ut Principes, Regni administrationem ubi recipiunt, antecessorum decreta & Privilegia, peculiari diplomate, confirmet; quod hic & Mariam nostram fecisse, advertimus. Ipsum ergo illud Andreae etiam Ildi decretum confirmavit Maria, cum, quae hac charta concessit, ad priora omnia extendantur. Erat vero decretum, summum libertatis Hungaricae praesidium, quod, non Palatino solum, sed ipsis quoque nobilibus, facultatem dabat, opponendi se Regi, quamprimum ille quidquam, contra gentis antiquissima iura, meditaretur. Sed perpetuorum tumultuum causa fuit, tam liberalis concessio; quod de principum factis iudicare non facile possint, qui uniuersae regionis habitum ignorant; unde saepissime, quod non aequitati solum, sed saluti etiam pu-

blicae conuenientissimum est, exitiale credi potest & perniciosabile. Iudicium proinde, quod celeberr. *SCHVRTZFLEISCHIVS*, de hoc decreto, in *additamentis ad Superioris Hungariae conuersiones*, quae Wittebergae anno 1688. prodierunt, tulerat, meum jam facio. *Absurdum est*, inquit ille, & *rationi contrarium, moribusq. cultarum in primis christianarum gentium institutis, repugnans, Andreae II. diploma, nominatim in eo capite, quo, non libertas, sed cyclopica licentia continetur, Regumque ius in tantum confunditur, euertitur ac deluditur, in quantum ibi facultas resistendi Regibus, conceditur, tribuitur & sancitur. Quae decreti pars, Scytharum Humorumque ingenio congruit; Vngaros dudum cultos, & ante Andream II. ad Christi nomen adiunctos, non decet, neque usu & exemplo confirmata est; neque magis Vngariae Reges, quam Fodoci constitutio, Imperatores Romanos, obstrinxit.* Elucet hinc, quam prudenter egerit, quam auguste, diuus Leopoldus, quod decretum hoc Andreae, anni 1222. restituta Hungariae pace gloriosa, in Comitibus Pisoniensibus, anno 1687. conuocatis, aboleuerit, atque ita vindicauerit iura Hungariae Regum. conf. *Corpus iuris hung.* vbi explanatum, modesto abolitionis titulo, decretum dicitur, in decretalibus, diaeta anni 1687. artic. IV. p. 411.

- (c) Edocuit nos paragrapho praecedente, Lucius, quo tempore, Sigismundo iuncta fuerit Maria; posteaquam nimirum e captiuitate prodiisset, A. 1387. proinde & hinc aduertat licet, prius esse decretum hoc Marianum, Mariae nuptiis, summo itaque iure opponi posse, erranti, fors fallenti destinato consilio, Bonfini. Quid enim prohibet dicere fallentem, qui, quae citat diplomata, neque produxit, neque potuit producere, quia non inuenit.

§. XI.

Quam numi, quam publicae literae, Reginam dictam, non Regem, loquuntur Mariam; hanc etiam a Sigismundo ita perpetuo nuncupatam, aliquot prostant, non plane nullius auctoritatis, documenta. Etenim, si publica voluntate, Regis nomen, Mariae suae inditum, Sigif-

Sigismundus cognouisset, quod, si fuisset factum, ignorare non potuit; non commisisset credo (a), ut alio nomine compellaret, cuius intuitu, aditum ad Hungariae coronam, nactus erat; cui proinde, ut, quocunque modo posset, blandiretur, causam habuit. Nihilominus, non aliter ab eo, quam Reginam dici videas, ubicunque de Maria loquitur. Ita, in donationalibus (b), quas vocant, litteris: *Illustrissimarum, inquit, Principum dominarum, Elisabeth matris, & Mariae conortalis, nostrarum charissimarum Reginarum, dicti Regni Vngariae, felicitum recordationum.* Ita, & alio loco (c), nempe, posteaquam e carcere Budam rediisset, Sigismundo dicitur, *Suauissima Regina, Maria;* & hoc quidem ante coronationem eius, qui nonnisi conuentu Albam indicto, corona Regia redimitus fuit. Est hoc, nisi fallor, argumenti satis, de Maria, nomine, non Rege, sed Regina.

(a) Recepta quippe & Regni ipsius auctoritate introducta Regis adpellatio, ne in priuatis quidem compellationibus, tantum abest ut in publicis, mutari solet, minime omnium ab illis, quorum prae caeteris interest, Regisne nomen an Reginae, obtineat. Ex horum numero, principem fuisse Sigismundum, quis dubitet? adeoque etiam, quod competebar Mariae, ei non denegasse, iure meritoque credendus est. Nunc, cum Reginam adpeller, Reginae nomine insignitam conjugem suam, satis demonstrat.

(b) Prostant illae in corpore juris Hungarici, T. II. p. 62. aliud, ineditum adhuc Sigismundi decretum, quod Cl. M. Godefridus Schwartzius, amicus noster plane singularis, qui aliquam commentationis huius partem sibi vendicat, inter arcana sua hungarica, fidelissime adseruat, idem prorsus loquitur, quod hae litterae.

(c) Vid. Bonfinii Dec. III. L. II. p. m. 398.

§. XII.

Atque ita, satis euietum dedisse nos credimus, non Regis, sed Reginae nomine, Mariam fuisse insignitam. Quae opponi poterat, Turocii, Bonfinii, & plerorumque recentiorum Scriptorum, auctoritas, remota; producta Mariae moneta, quae pro nostra sententia, euidenter decernit; explicatus aureus, & ab interpretatione, Bonfinii testimonio adcommodata, vindicatus; additae ipsius Mariae litterae publicae, idem, quod nummi loquebantur, confirmantes; additum denique Sigismundi Regis, Mariae Reginae mentionem iniicientis, testimonium; quae quidem omnia eo pertinent, vt firma stet sententia, non Regem fuisse dictam, Mariam, sed Reginam.

